



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum  
Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. IV. De Irenaeo illustri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

appellari, vel in sermone, vel in epistola fratrum; & si quis hæc fecisset, durius increpabant, dicentes: quod hæc appellatio soli Christo debeat, vel certe his, qui post bonam confessionem discederent de hac vita, & pergerent ad Deum. *Nos autem humiles & egeni, aiebant, optamus, ut ipsa saltem in nobis confessio tuta permaneat.* Tanta ergo erat in iis humilitas, ut cum rebus ipsis martyres essent, nominis tamen jactantiam fugerent: Inter fratres humiles, inter persecutores elati. Accusabant neminem, absolvebant cunctos, litigabant erga nullum; orabant pro persecutoribus suis, utentes verbis S. Stephani martyris, dicentis: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Et per nimiam charitatem, quam habebant in Christo Jesu, & his qui lapsi fuerant totis miserationum visceribus inhærebant, omnipotenti Deo effundentes pro eis flumina lacrymarum. Nec sibi gratum iter dicebant, eundi ad Dominum, si pars membrorum suorum, de ecclesiis rapta, à Diabolo diriperetur. Hæc ergo quæ ex tanto autoritate virorum descendunt, dicta sunt propter eos, & contra eos, qui tumidi & elati adversum fratres feruntur, & si qui forte titubaverint, viscera miserationum Christi putant ab eis penitus excludenda.

## CAP. IV.

*De Irenæo illustri.*

Igitur Photino, Lugdunensi Episcopo, cum cæteris martyribus coronato, Irenæus, Polycarpi auditor in  
pue-



in pueritia, sacerdotio ejus succedit. Hic multos scripsit libros, & præclara ingenii sui monumenta reliquit. Inter multa & innumera sua opuscula quoddam de LXX. Interpretibus elegans miraculum narrat.

## C A P. V.

## De LXX. Interpretibus.

**P**tolemæus, inquit, Lagi filius, volens Bibliothecæ suæ, quam apud Alexandriam ex omnium Græcorum voluminibus construebat, majorem gloriam quærere, petit etiam ab Hierosolymis, ut eorum Hebræas scripturas, in Græcam linguam interpretatas, acciperet. At illi (quippe subjecti erant Macedonibus) electos, & in Scripturis sanctis in utraque lingua peritissimos viros, LXX. presbyteros, miserunt ad Ptolemæum: In quo tamen voluntas Dei & consilium gerebatur. Tunc ille, singulorum volens accipere documenta, & verens, ne forte per interpretationem occultarent insertam divinis voluminibus veritatem, singulos à se invicem separat, & eadem seorsim positos interpretari jubet, eumque interpretandi ordinem in singulis voluminibus observari. Quosque rursum coram se in unum revocare, & conferre ad invicem, quæ singuli interpretati fuerant, jubet. Et tunc Deus vere glorificatur, & Scriptura sancta, quod vere divina sit, agnoscitur. Omnes enim eadem, iisdem verbis, iisdemque nominibus, interpretati sunt ab initio usque in finem, ita ut & ipsi, qui aderant, gentiles agnoscerent, quod Dei nutu scripturæ interpretatæ sunt. Nec mirum, cum Hiesdram  
G sacer-